



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### **Fasti Mariani Cum Divorvm Elogiis In Singvlos Anni Dies Distribvtis**

**Brunner, Andreas  
Pfeffer, Wilhelm**

**Antverpiæ, 1637**

S. Gregorius Turon. Episc. 17. Novembris.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-44055**

montem aliò ambulare iussit. Iterum Lyco flumini exundanti moram posuit scipionem suum, qui illicò frondescens ripam umbrâ suâ vestivit. Insequentis se sociumque hostis oculos ita precando fefellit, ut, quos impius quærebat, arbores crederet. Moriturus è suis septemdecim dumtaxat reliquit superstitioni deditos, cum sub adventum suum non plures Christo addictos reperiret. Tumulum cum aliis sibi communem esse voluit, ne, quod vivus numquam fecerat, mortuus proprii quid haberet. Suspiciant alii hæc mira; ego de GREGORIO, quod de Malachia Bernardus, dico: inter multa magnaque miracula, maximum miraculum, quod fecit, ipse fuit. *Ex Gregor. Nyss.*

*Si vis utiliter aliquid scire & discere, ama nesciri, & pro nihilo reputari. Hac est altissima & utilissima lectio, sui ipsius vera cognitio & despectio. De se ipso nihil tenere; & de aliis semper bene & aliè sentire, magna sapientia est.* Thom. de Kemp. lib. I.

### S. GREGORIUS TURON. EPISC.

17. Novembris.

**I**Lle est GREGORIUS, cui nomen infula Turonensis fecit. Parentes illi è primâ nobilitate, nutrices à teneris annis Musæ fuerunt, quibus vicem ille tam postea rependit, ut nesciam plúne ille Musis, an Musæ illi debeant. Puer vitam, quam à patre acceperat, bis eidem reddidit, nec sine miraculo, cum medicinam morituro nunc ~~nomen Irey lino inscriptum,~~ nunc alter Tobias piscis extra adhibuit. Ipse quoties agrotavit (agrotavit sæpiusculè) è cælo medicos, vel D. Eligium vel Martinum habuit, cujus vitam rectè in templorum parietibus, sed multò rectius in animo suo

18. Nov.

VITÆ SANCTORVM.

561

suo depinxit. Sub noctem VIRGINI sacrâ, ædem hujus frequentari ab Angelis cum multo lumine vidit, & portâ sponte suâ referatâ ipse etiam admissus est. Tam charus cælo, castigatus scilicet ab hoc non semel est. Etenim somnum dormientis in natalitiâ Christi nocte Angelus alapâ discussit. Tam non possunt ferre Superi Episcopum dormientem. Jam simul ac lapsus est in nescio quam gloriolæ vanæ cogitationem, cquus etiam ipse lapsus sub GREGORIO reprehendit GREGORIVM. Itaque in posterum miracula, quæ plurima patrabat, non sibi sed Divorum lipsanis, quæ ferebat, adscripsit. Congressus Romæ cum Gregorio Pontif. cum hic viri staturam (multum animo minor erat) tacitè miraretur, non nescius arcanarum cogitationum noster, Dominus, dixit, fecit nos; non ipsi nos. Itaque maximi deinceps GREGORIVM ipse etiam Magnus Gregorius fecit. Ex Surio.

*Tres virtutes sunt, quæ pueris adolescentibus magis congruunt, Verecundia, Faciturnitas & Obedientia. Non est autem dubium, si has studuerint habere, quin possint, Christo duce, ad culmen perfectionemq; virtutum ascendere.* S. Bern. l. de Ord. vitæ.

SS. ROMANUS & BARULA MM.

18. Novembris.

**P**Arabat anno Servatoris cccci. Asclepiades Procos. excindere templum Christianorum Antiochiæ. Huic nimirum ROMANVS sese opposuit, & dictis suis animos sociis unicus addidit. *Nunc demum pugnandum pro Aris cogitarent. Hostem utique esse Asclepiadem patriæ, qui huic DEVM ereptum iret. Pulchrum fore, ut aras defenderent, cadere ad aras litaturos. In quamcumque demum partem alea caderet*

A a 5

pugna,